



## **Polyanthea Sacra**

Ex Universæ Sacræ Scripturæ Utriusque Testamenti Figuris, Symbolis, Testimoniis, Nec Non E Selectis Patrum, Aliorumque Authorum, Sententiis, eruditis Interpretationibus, Similitudinibus, rarisque Historiis collecta, Et Copiosis, Exquisitisque Materiis Moralibus De Virtutibus Et Vitiis Pro ...

**Spanner, Andreas**

**Augustae Vindelicorum, 1702**

§. 14. Amoris Dei Comites. Primus. Amor proximi. Figuræ, Symbola. Ex Vet. Nov. Patribus. Testimonia. Ex Nov. Patribus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79340](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79340)

Charitas nescit peccare, cum diligit; charitas non est charitas, si delinquit; charitas Dei cultos est sanctitatis. S. Chrysol. l. 94.

Homo scuto, & armaturâ, munitus amoris tui, benignè Domine Jesu, in tentationis prælio stat inconcusus, invincibilis, atque firmissimus. Idiota c. 15.

Ubi est amor Dei, omnia mala recedant. S. Chrysol. in Pl. 140.

Qui non amat, amicus non est: ille autem non amat, qui amat iniquitatem. Petr. Blef. tr. de amicitia.

Non pertinet, Domine, ad te, nec de tuis est, qui te non diligit; nec diligit te, qui scienter offendit. S. Cyprianus de Bapt. Christi.

Nulla res sic nos ab omni peccato servat immunes, sicut timor supplicii, & amor Dei. S. Prosper. de vita contempl. Sacerd. l. 3. c. 10.

Charitas affectionum omnium potentissima, in omnibus semper invicta, summa actionum bonarum, mors criminum, vita virtutum. Id. c. 13. Ex ea parte quis peccat, ex qua minus diligit Deum: quem si ex toto corde diligamus, nihil erit in nobis, unde peccati desiderii serviamus. Id. c. 15. Illi perfecte diligunt Deum, qui volendo, quod vult Deus; & nolendo, quod non vult; acquiescunt. Idem ib.

Qui verò amore verè fertur in Deum, instar gladii bicipitis quemcunque amorem alium hujus Mundi interrumpit, ac dirimit. S. Ephrem. serm. ad pietatem.

Qui parùm amat Deum, non multum odit peccatum. S. Franc. Sales. c. 13.

Omnia periculosa, omnia mortifera, magno compendio possumus evadere, si salutis nostre diligamus authorem. Cassiod. in Pl. 96.

Domini amare, est mandata ejus servare. Tunc Deum super omnia diligimus, si minis & blanditiis, impulsus contra præcepta Dei agere; dignitates, gloriam, omnem demum substantiam amittimus, ipsum etiam corpus ad diversa supplicia mortis prius tradimus; quam à præceptis Domini recedamus. S. Honorius serm. in Quinq.

## §. XIV.

## Amoris Dei Comites

## Primus Amor proximi.

## Figuræ, &amp; Symbola.

## Ex Veteri.

*Ascendentes, & descendentes per eam.* Gen. 28. 12. Per dilectionem DEI ascenditur, & per dilectionem proximi descenditur. S. Laur. Just. l. de obed. c. 28.

*Ipsa quoque rextura &c. eris ex auro, &c. coccumque bis tincto.* Ex. 28. 8. Moyses, cum per colores vestium. Electorum virtutes exprimeret, in ornamento Pontificis bis tinctum coccum jubet adhiberi. *Polyantha Sacra.*

Quid namque per coccum, nisi charitas designatur; quæ semper flammâ amoris accenditur. S. Greg. hom. 16 in Ezech. c. 40.

*Sumesque duos lapides onychinos.* Ex. 28. 9. Duo lapides in humeris, duo præcepta sunt dilectionis Dei, & proximi. S. Prosper. de promiss. & prædict. Dei parte 2. c. 2.

*Due tabule Legis.* Ex. 32. 19. Peccatum idololatraturum erat contra unam tabulam: primo enim præcepto adverbatur. Et tamen Moyses utramque confregit: ut significaret Dei charitate perditâ, proximi amorem etiam facile amitti. Philipp. Diez in Comm. Apost. conc. 1.

Pars similis, quæ offertur; concremator Domino in altari, pars autem Aaron, & filiorum ejus usibus reservatur. Lev. 2. 2. 3. In quibus gemina notatur dilectio, ut nec proximus sine Deo, nec Deus sine proximo, diligatur. Petr. Blef. ep. 50.

*Obsecro, ut in me fiat duplex spiritus tuus.* 4. Reg. 2. 9.

*Custodivi vias Domini, nec impiè gessi à Deo meo.* Psalm. 17. 22. Vix Domini sunt dilectio Dei, & charitas proximi. Cassiodorus hic.

*Dominus regnavit, irascentur populi.* Pf. 98. Habeto charitatem in Deum, & in proximum; & eris sedes Dei, pertinebis ad Cherubim. S. Aug. hic in Psalm. 98. post initium.

*Quò ibo à spiritu tuo, & quò à facie tua fugiam?* Pf. 138. 8. id est, quâ ratione tuam iram, ô Deus! fugere poterò? Respond. *si sumpsero pennas meas aluculo.* v. 9. Aug. hic: quas pennas vult assumere, nisi duas alas, duo præcepta charitatis. Has, inquit, alas si recipiam; possum effugere à facie tua ad faciem tuam, à facie iratâ ad faciem placatâ. Ramirez in Eccl. Ethol. 46.

Domestici ejus vestiti sunt duplicibus. Prov. 31. 21.

*Decoloravit me sol.* Cant. 1. 5. Decolorari à sole, est ignescere charitate fraternâ; flere cum flentibus, cum infirmantibus infirmari, uri ad scandala singulorum. S. Bernard. hic. l. 2. 8.

*Murenulas aureas faciemus tibi vermicularas argenti.* Cant. 1. 10. Per aurum dilectio erga Deum, per argentum amor proximi denotatur. Philo Carpath. hic: his ornamentis opus est sponsæ, ut dilecta sit, & chara sponso suo Christo Jesu: cui neque amor proximi sine amore proximi satis placere potest. Utramque ergo sancta anima rectè amet oportet, ut supradicta ornamenta digna sit accipere. Did. de Castillo Ill. 62.

*Omnes gemellis feribus.* Cant. 4. 2. Sola descenderunt in aquam fideles animæ, sed duplici Spiritus Sancti partu ornata; fecundissima ascenderunt, charitate videlicet Dei, & proximi; nec ulla sterilis esse potest inter veras Christi oves: geminâ quippe semper dilectione fecundus esse debet bonus Christi servus. Philo Carpath. hic.

*Bibi vinum meum cum lacte meo.* Cant. 5. 1. Vinum meum, quia dilectio Dei; lac meum, quia dilectio proximi. S. Rupert. in Cant.

*Tunc saliet, sicut cervus, claudus.* Jf. 35. 6. Duos pedes debet habere homo; dilectionem Domini, & proximi: qui alterâ illarum caret, claudus est. S. Hildebert. Turon Ep. f. in illud Jf. tunc aperientur &c.

*Animalia illa* Ezech. 1. 6. alas habebant, quibus in sublime ferrentur; pedes quoque, quibus in terra incederent. Alæ amor in Deum, pedes amor proximi. Petr. Bess. D. 17. Pent.

### Ex Novo.

*Infundens oleum, & vinum.* Luc. 10. 34. Pro illo, qui inciderat in latrones, duos denarios dedit. Et apud Samaritanos *duos dies* transegit, ut in eis charitatem Dei, & proximi confirmaret. Joan. 4. 40. Et vidua illa Luc. 21. 2. in typo Ecclesiæ *minusa duo ara* misit in gazophylacium. Et Dominus ad prædicandum bipartitâ charitate *binos* discipulos destinavit Luc. 10. 1. S. Eligius Noviom. Ep. hom. 8. in Coen. Dom.

*Erat quidam homo ibi 38. annos habens infirmitate suâ.* Joan. 5. 5. Rectè quidem hic homo tantò tempore languidus peccatorem significat, scelerum suorum enormitate pressum; cui, quia dilectio Dei, & proximi, deest; & idcirco per poenitentiam convalescere non potest; bene hujus infirmitas 38. annos habet; & à quadragenario numero, qui poenitentiae dicatus est, binariò differt. S. Rupert. in Joan.

*Surge, tolle grabatum tuum.* Joan. 5. 8. Surge, id est, vitiis torporem, in quibus diu languebas, excute, & ad exercitium virtutum erigere. Tolle grabatum tuum, porta, id est, dilige proximum tuum, patienter ejus infirma tolerando. Ambula; totò corde, totò animò, totâ virtute, Deum dilige. V. Beda in Jo.

*Currebant duo simul* Joan. 20. 4. quia verò pes est extréma pars corporis, pondus totius corporis portat; & sic de charitate 1. Cor. 13. 7. *charitas omnia suffert.* Charitas Dei, & proximi, sunt duo pedes, quibus ad Deum acceditur; qui ita connexi sunt, ut alter sine alterò currere non possit. Joan. Geminiano de exempl. & similit. l. 6. c. 4. Data sunt mulieri duæ alæ magnæ. Apoc. 12. 13.

### Ex Patribus.

Quæcumque in ministerio tabernaculi, sive templi multis modis de sacrificiis leguntur divinitus esse præcepta; ad dilectionem Dei, & proximi, significandam referuntur. In his enim duobus præceptis, ut scriptum est, tota lex pendet, & Prophetæ. S. Aug. de Civ. Dei l. 10. c. 5.

Pedes tui charitas tua est. Duos pedes habeto, noli esse claudus. Qui sunt duo pedes? duo præcepta dilectionis Dei, & proximi. Istis pedibus curre ad Deum. Id. in Pf. 33. concione 2. in medio.

Luna eclipsata. Cùm luna claritatem suam terræ non mittit, signum est, eam esse eclipsi obfuscatam; neque claritatem à sole recipere. Sic si anima eclipsata est, & divinò amore caret, proximis quoque lucem amoris non præbet. Diez. in Comm. Apost. c. 1.

*Sol, & Luna.* Post solem sequitur Luna. Amorem Dei necesse est amor in proximos comitetur. Sed scito in Lunam à Sole lucem esse refundendam. Non placet amor in proximos, qui aliunde, quam à Dei amore emanat. Oliva t. 2. Strom. §. Spirit. Dom. ornavit cœlos.

### Testimonia

### Ex Novo.

*Proximum tuum sicut teipsum.* Matth. 22. 39. Non fugias amorem proximi, quin etiam amorem fugias. Lineæ à Sphæra discedentes etiam à vicinis lineis discedunt. Did. Stella in Luc. 10.

*In his duobus mandatis universa lex pendet, & Prophetæ.* Matth. 22. 40. Qui omnia ad impleverit, quæ scripta sunt de Dei dilectione, & proximi; dignus est maximas gratias à Deo percipere. Origenes tr. 23. in Matth. hic. Non est vera dilectio Dei, quæ proximi dilectionem consociatam non habet. Victor Antioch. presb. in Marcum. Secundum à primo divelli non potest: nemo enim potest perfecte diligere Deum, quin etiam diligat proximum. Hugo Card. Sicut rex in sua imagine honoratur, sic & Deus in homine. Sylveira in Matth. 22. c. 46.

*Sed ut cognoscas Mundus, quia diligo Patrem; & sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio.* Joan. 14. 31. Christus ostendit, se diligere Patrem, quia mandatum ejus observat: qui enim posset Christus amorem suum erga Patrem ostendere, nostrò prætermisso. Hinc ait: *sicut mandatum &c.* mandatum hoc erat patiendi, & moriendi pro hominum salute. Ecce amor erga nos! meritò amorem erga Patrem comprobatur ex nostri amore. Did. de Castillo. Illat. 62.

*Simon Joannis amas me?* Joan. 21. 16. Cajet. hic. antequam Christus curam ovium committat Petro, non petit ab eo, scis, aut potes, aut vis? sed diligis me? non dicit, diligis oves meas, diligis præmia mea, promissiones meas? &c. sed diligis me? Et post pauca subdit: nulla merces, nulla mercedis ratio, nulla Petri utilitas proponitur, sed solus Christi amor exigitur, & affertur ratio pascendi agnos Christi. Sylveira hic q. 2. Non vult Domi-

Dominus suos agnos alii committere, nisi illi, qui eum diligit; quos ipse tantum dilexit ut pro eis mori dignaretur. S. Euseb. Emiss. in Natali S. Petri. Nihil amanti ardentius charius potuit committere, quam illud, propter quod exinaniti voluit, & mori. S. Laur. Just. de casto connub. c. 12. Pascere ergo verbò, pascere exemplò, pascere temporali subsidio, probatio est dilectionis. Hugo Card. in Pl. 73. Quà mente is, qui proximis profuturus entesceret, utilitati cæterorum secretum proponit suum; quando ipse summi Patris unigenitus, ut multis prodesset, de sinu Patris egressus est ad publicum nostrum. S. Greg. lib. pastor. curæ c. 5.

*Mandatum habemus à Deo, ut, qui diligit Deum, diligat & fratrem.* 1. Jo. 4. 21.

### Ex Patribus.

Ad hoc solum Deus nobis per totam Scripturam loquitur: ut nos ad suum, & proximi, amorem trahat. S. Gregor. hom. 10. in c. 3. Ezechielis.

Qui hominem amat fidelem, simile est, sicut qui Deum amat; quia imago Dei est homo.

Sicut rex in sua imagine vel honoratur, vel contemnitur; sic & Deus in homine, vel diligitur, vel oditur. Non potest hominem odire, qui Deum amat; nec potest Deum amare, qui hominem odit. S. Chrysost. hom. 26. in Matthæ 22.

Nèque profus alia res est, quæ perinde declararet doceatque; quis sit fidelis, & amans Christi; quam si fratrum curam gerat, proque illorum salute gerat sollicitum S. Chrysost. orat. de B. Philogonio. Si charitas Dei diffunditur in cordibus nostris, mox profectò generat & proximi dilectionem; unde propter geminum charitatis ardorem, bis Spiritus Sanctus legitur datus Apostolis. V. Beda in act. 2.

Mundus est sphaera, cujus centrum Deus; linea verò, quæ à centro in circumferentia decurrunt, homines sunt inter se; & quò magis à centro, magis inter se quòque distant. Ità homines, quò magis per amorem Deo conjunguntur, magis etiam inter se copulantur. S. Dorotheus doct. 6.

Spiritus S. bis datus memoratur, dum semel in terra, semel de coelo, datur. In terra datur spiritus, ut diligatur proximus; de coelo datur Spiritus, ut diligatur Deus S. Honorius Augustodun. serm. in die Pent.

### §. XV.

### Amoris Comes secundus Dolor, & Patientia.

#### Num. I.

#### Figura.

*Per Aurum.* quòd Ex. 28. 5. assumitur ad ornatum Pontificis, jam charitas, jam patientia designatur: quia utraque sine altera languet, & friget. Did. de Castillo Ill. 43.

*Asa Calebi filia* Jol. 15. 18. se parum dilectam *Polyanthea sacra.*

lectam à patre queritur; quippe qui non irriguam, ac amenam, hæreditatem concesserit; sed arentem, & ad speciem vilem. Et cur ita pater fecit? non cuius, sed strenuo, victori, triumphis coronato, eam in matrimonium dedit; qui percussit *Carat - S. phar &c. v. 16.* Tellurem autem arentem dedit: ut ostenderet, verum amorem plus cogitare de triumphis, quam de temporalibus commodis. Naxera in Josue 15. §. 41.

*Fortis ut mors dilectio &c.* Cant. 8. 6. Æmulatio hæc est constans, & sollicita, imitatio Christi dilecti. Sed cur ea non potius celestibus deliciis, quam durissimo inferno comparatur? quia non satis probaretur; nisi per tormenta similia infernis. Balduinus hic: si tu per æmulationis studium volens me imitari, te senseris gravari, & quasi in Inferno cruciari; hoc est, quòd à te exigo; hoc est, quòd desidero; hoc est, quòd consulo: ut ad modicum crucieris; quasi in Inferno; nè sine fine crucieris in eo. Ramirez, in ep. 6.

#### Num. II.

#### Testimonia

### Ex Veteri, & Novo.

*Tange os ejus, & carnem.* Job. 2. 5. Nullum fortius, evidentiusque testimonium amoris est, quam tamnum propter amicum. Unde nihil satis fuit diabolo, ut crederet, quòd Job Deum diligeret, nisi ipse sanctus vir in seipso, in carne sua aliquid pateretur. Philipp Diez. ut. Contemplat. vitæ Christi.

*Conjungere Deo, & sustine.* Eccli. 2. 3. Conjungere Deo per amorem; & sustine. Et quidem aliqui per *li sustine*, patientiam intelligunt; quia id melius nobis vix comparabimus, quam Deum amando; ejusque amorem, quem præcipue in sua morte ostendit, contemplan-do. Octav. de Tuffia hic.

*Beati, qui persecutionem patienter.* Matth. 5. 10. hæc qui assequi cupit, amet oportet, idque ardentissimè. Qui amat, meminerit oportet; militiæ speciem esse amorem. Isidorus Clarius 2. or. 26.

*Dolentes, quærebamus te.* Luc. 2. 48. quæserunt utique cum dolore; quem ardentè dilexerunt. Dolor itaque amoris indicium est; & inquisitionis stimulus. S. Laur. Just. de casto connub. c. 15.

*Imposit in humeros suos gaudens.* Ltic. 15. 5. Basil. Seleuc. gaudet ipsa fatigatione; ovis inventionem ratus lassitudinis esse levamentum. Ex Henrico Sufone Surtius: quisquis amori dat operam; idem ipse Martyr est. Amoris ea antiqua; lex, & conditio est; ut amantes patiantur adversa. Escobar tr. 3. l. 3. Obs. 1.

*Jesus ergo fatigatus ex itinere.* Jo. 4. 6. fatigatur, quia ad dilectam animam Samaritanæ properabat: nec enim verè probare se potest amantem, qui non patitur. Id. ib.

*Quis nos separabit à charitate Christi?* tribulatio? &c. Rom. 8. 35. quia propter te